

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Joannis Nadasi, è Societate Jesu, Annus Caelestis,  
Jesu Regi, & Mariae Reginae, Sanctorum Omnis Sacer**

Anni Caelestis Dies, & Festa Mobilia

**Nádasi, János**

**Coloniae Ubiorum, 1667**

Die Ascensionis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53527](#)

meæ, verba mea, opera mea, laudate  
Dominum: dicite, & facite ea, quæ  
sint in laudem Dei. Sancte JESU,  
fac sanctos omnes sensus meos: da  
illis felix Pascha, felix phase, felicem  
transitum à moribus tepidis, dis-  
solutis ad sanctos, ab amore tem-  
poralium ad studium æternorum,  
ab hac vita ad vitam æternam, &  
Urbem illam, per cuius vicos alleluja  
cantabitur; ut ibi, cum Apoca-  
lypticis tuis cantoribus, cum voce  
turbarum multarum, seniorum,  
throni, aquarum, tonitruorum  
magnorum, cantem tibi: Alleluja!  
Salus, & gloria, & virtus Deo nostro:  
gaudeamus, & exultemus, & demus  
gloriam Tibi!

## DIE ASCENSIONIS.

Adoro te, victoriose triumpha-  
tor JESU, ascendentem in jubila-  
tione, in voce tubæ. O qui ascen-  
dens in altum, captivam duxisti  
captivitatem! gratulor tuæ magni-  
ficentiaæ, super cælos elevataæ! Fac  
me magnificentum in sanctitate: ne  
derelinquas me orphanum: da  
mihi dulcissimam Virginem Ma-  
trem tuam, qui dona dedisti homi-  
nibus. Omnis pulchritudo tua e-  
levata

20 DIES, & FESTA

Ilevata est super sidera : da , ut o-  
mnis amor meus habitet ibi tecum,  
in amore veræ pulchritudinis oc-  
cupatus ; ut me benè parem ad vo-  
cem tubæ novissimæ . Tu scis, quid  
me captivum teneat, ne liber amem  
te: illam meam captivitatem capti-  
vam ducas in triumpho tuo. O  
JESU, qui es plus quam Elias,  
currū igneo hinc abreptus : fiat su-  
per me spiritus tuus duplex ; timo-  
ris, quo timeam Deum tuum , &  
Deum nostrum ; amoris quo am-  
pletear Patrem tuum , & Patrem  
nostrum , ad quem ascendis. Ideo  
flecto genua mea supplex , & per  
admirabilem ascensionem tuam.  
rogo te, ut benedicas mihi in bene-  
dictionibus dulcedinis , quæ mihi  
amara reddat ea , quæ corrupto  
mundi palato sunt dulcia, & dulcia  
faciat, quæ illi amara sunt. Benedic  
mihi , & trah me post te ; ita ut se-  
quarte usque ad cælum, quod tu tuis  
viribus ascendisti , & ego ascendere  
viribus meis non possum , sed tuis  
possum. Educ me in altum ; ut mihi  
quotidie ascensiones in corde dis-  
ponenti , & altius ascendentि , hæc  
infima, minora semper , & minora  
videantur ; & sicut Ignatio tuo, ita  
mihi , sordeat terra , cum cælum  
aspicio,

aspicio, aspiciensque corde ascen-  
do.

## DOMINICA PENTECOSTES.

Venī, amor DĒUS, venī Numen,  
& lumen: mitte ignem tuum in of-  
fibus meis, & erudi me: da linguas  
igneas, & doce me tacere, ac loqui:  
lava, riga, fana, flecte, fove, rege  
fordidum, aridum, saucium, rūgi-  
dum, frigidum, devium cor meum:  
fac, ut verè amet. Displicet mihi,  
quicquid mali sit contra te! placet  
mihi, quicquid sit boni! atque uti-  
nam prohibere possem mala omnia;  
& bona, quæ fiunt, augere omnia,  
ac omnium cordibus amare te; sin-  
gulisque momentis vitæ meæ tan-  
tum facere boni, quantum factum  
est ab ullo unquam! ut quemad-  
modum tibi displicet is, qui aliena  
peccata facit sua; ita tibi placeam  
ego, cùm arte amoris tui, aliena  
bona opera omnia facio mea, gra-  
tulando de illis tibi, & optando  
illa omnia facere infinitè. Gaudeo  
fieri ab aliis ea bona, quæ à me fieri  
non possunt; vel quæ per ignaviam  
omisi, cùm possem. Utinam mea,  
& omnia omnium peccata possem  
in pretiosissimos, tibique gratif-  
simos,